

opportunitate usus hostis, tamdiu omnia sibi ad injuriam opportuniora reddidit, quoad ille ad primam renovati belli famam, ad coarguendos rumores falso de se vulgatos, Brixiam advolavit. Et quia ob immensa frigora nihil agi poterat, confirmatis sua praesentia qui adhuc in fide erant, ac bene sperare jussis, ipse Veronam rediit. Ubi audito Vallegiani pontis casu, quem Mantuanus Princeps per eos dies, occuparat, cum iis copiis, quas ex proximis hybernis tumultuose excivit, locum adortus, paucissimis diebus recepit, receptumque valido firmavit praesidio. Quidam auctores sunt, sub illius ex Brixia digressum, Clarum, Soncinum, Martinengium, & Casale majus ad hostes defecisse: nec eum clade illa magnopere commotum, ratum satius fuisse ita evenire, quam si vi capta aliquam majorem cladem adiissent: quum plane constaret, loca illa eorum postea futura, qui proxima aestate plus armis essent valituri. His demum locis Philippi copiae quod hyemis supererat egere. Sub vernum autem tempus utrinque magnis conatibus bellum parari est coeptum: pecuniae, arma, comatus, atque omnia quae ad victoriam facere creduntur, studio expediri: eratque non Gallia solum, sed tota Italia in praesentis belli eventum erecta. Apparebat enim, nisi altero ferocissimorum ducum sublato, aut omnino armis exuto, debellatum iri nullo modo posse. Transiverat interim ex Hetruria in Galliam Michael Attendulus cum duobus millibus militum, a Veneto hoc nomine accersitus, ut Mellitae loco (qui exigua spe animum trahebat) Venetis copiis praefect.

Sforzia, cujus imperium longe majus erat (quippe qui non solum Venetis, sed sociorum etiam omnium moderabatur viribus) quia jam tempus movendi ex hybernis erat, vires omnes in unum contraxerat: quum hostis, qui vel minimos ejus motus per exploratores cognoscere consueverat, aliquanto maturius cum sexdecim millibus armatorum in Bergomeni agro ad Seriolae amnis ripam confedit, castris prope Algisium communitis, ita ut a fronte ripam haberet aquis & situ munitam, dextra vero laevaue
altas